



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 18. Causa Abbatis Farvensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Saeculum IX. ullus Antecessorum ejus opus, quod huic
 A. C. 828. par esset, utilitati publicæ consecraverat.

§. XVIII.

Causa Abbatis Farvensis.

le Blanc. dis. hist. n. p. 161. Gregorio IV. Papa sedente Ingoaldus Abbas Farvensis obtulit libellum supplicem Imperatoris Delegatis, qui sententiam pronunciarunt ipsi faventem; res autem ita se habuit. Cum Josephus Episcopus & Leo Comes ex Ducatu Spoletano, jubente Ludovico Imperatore missi ad judicandam illam causam Romam pervenissent, & pro tribunali sederent in Palatio Lateranensi, præsentibus Gregorio Papa, quem comitabantur Leo Episcopus & Bibliothecarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Theodorus Episcopus, Petrus Dux Ravennatensis & plures alii ibi nominati, Ingoaldus Abbas Monasterii S. Mariæ in Acutiano Territorii Sabinensis (scilicet Farvensis) quem comitabatur Adulfus orator suus, exposuit, quod Pontifices Hadrianus & Leo vi adhibita invasissent hujus Monasterii possessiones & Bonas fundos nempe; nam quinque deinde nominantur. Subjunxit Abbas: *Hæc bona nobis restitui cum sepe, sedentibus Stephano, Paschale & Eugenio, postularem, id tamen obtinere non potuimus. Nunc igitur, ut æquitas petit, & vobis ab Imperatore*

peratore mandatum est, ea nobis restituite. Sæculum IX.
A. C. 829.

Delegati Gregorium Papæ Procuratorem interrogant, quid ad hæc responderet. Ille dixit: *Verum quidem est, quod hos fundos nomine Ecclesiæ Romanæ teneamus, sed legitime, quoniam eorum dominium ad Monasterium S. Mariæ nunquam pertinuit.* Tum Delegatis jubentibus, ut Ingoaldus postulationis suæ argumenta afferret, ille Donationes a Desiderio Rege & Carolo Imperatore confirmatas protulit. Cum deinde iudicium in sequentem diem dilatum fuisset, produxit testes omni exceptione majores, qui dixerunt, se esse memores, quod Monasterium S. Mariæ tempore Longobardorum, & postea regnante Carolo Imperatore, illorum fundorum, de quibus jam sermo esset, possessionem habuisset. His auditis Delegati judicarunt, Mandatarium Papæ hos agros Mandatario Monasterii debere restituere. Ille vero id facere detrectavit, & ipse Papa dixit, non posse se eorum sententiæ acquiescere, donec cum ipsis in conspectum Imperatoris veniret. Postquam Papa hoc edixisset, Delegati hujus iudicii Actum conscribi jusserunt, quod hodieque inter Tabulas Farvenses ad jura Monasterii conservanda exhibetur; datum est vero Romæ, anno Ludovici Imp. decimo

cimo

Sæculum IX. cimo sexto, Indictione septima, mensis
A. C. 828. Januario, seu anno Salutis reparata
 octingentesimo vigesimo nono.

§. XIX.

*S. Nicephori Constantinopolitani
 Obitus.*

Boll. 13. **I**n Oriente Nicephorus Patriarcha obiit
Mart. to. 7. in loco exilii sui, anno postquam e Se-
p. 293. de sua Constantinopolitana fuisset detru-
Labe Script. sus decimo quarto, seu a reparata Salute
to. I. p. 102. octingentesimo vigesimo octavo, die se-
 cunda Junii anno ætatis suæ circiter se-
 ptuagesimo. Complures nobis reliquit
 Libros, videlicet, Historiæ compendium
 ducentorum ferme annorum a morte
 Mauriti Imperatoris usque ad Irenem &
 Constantinum, item Catalogos Chrono-
 logicos Patriarcharum, Regum & Prin-
 cipum Hebræorum, Græcorum & Roma-
 norum, tum Patriarcharum, qui Sedes
 quinque Ecclesiæ majores tenuerunt.

Bibl. PP. Aliqua opera Nicephori contra Iconoma-
Paris. to. 6. chos scripta occurrunt, atque etiam ipso
p. 135. Auctore editi creduntur septendecim
 Canones, ex quibus unus prohibet, ne
 ille Sacris initiatur, qui usque ad annum
 ætatis suæ vigesimum illis vitiis, quibus
 juvenes immergi solent, deditus fuerit,
 etiamsi conversus videatur. Nicepho-
 rus inter Sanctos colitur decima tertia

Mart. Rom Martii, qua die ipsius Reliquiæ, annis
 octo-